

CONCIO III. AUCTARII.

CONCIO III.

AGRICOLAS PER PATIENTIAM FIERI POSSE EQUITES
S. GEORGII.

Ad agricolas S. Georgius agricola et eques. — I. S. Georgius gravi saxo premitur, uti et agricola. — II. In rota cultris armata injicitur: suo modo et agricola in metum tempestatum. — III. Projicitur in lacum ardente, et agricola in malos vicinos. — IV. Calceatur soleis ferreis, agricola infirmatus. — V. Nervis cæditur, et agricola inuriis.

THEMA.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.
Joan. XV.

Duo sunt in Georgio, quæ difficulter simulstant, nomen ejus et status. Nomen est agricultæ: status est equitis, a quo et illustris ille ordo equitum S. Georgii. Sed qua ratione agricultæ fieri possunt equites? Georgius tribunus militum, sed non tam inde nomen equitis consecutus est, quam ex gloriose certamine et Victoria martyrii sui patiendo, non occidendo. Possunt ergo et agricultæ fieri coram Deo equestres, si in martyrio suo, quod fere habent continuum, gloriose patiendo certent et vincant. Vidimus martyrium Georgii: videamus et agricultarum.

I. S. Georgius a Diocletiano in carcerem positus, ibique in ligno extensus fuit, tum pectus ejus gravi saxo pressum, quod vix portari poterat. Tum ipse: « Gratias tibi ago, quod dignus factus sim qui onus acciperem, quod pectori meo imponeretur, quodque meæ in te confessio- nis stabilitatem firmare debeat. » Quid hoc saxonum, nisi gravia onera, quæ premunt agricultorū, immoderatae pensiones, operæ, exactiones a dominis impositæ? Interim tamen hoc saxum firmat agricultorū in obedientia et humilitate. Cogitent crucem Christi gravem, ejus humeris impo sitam: postea Simoni Cyrenensi, agricultæ angariato, qui ex necessitate fecit virtutem. Unde pro mercede et ipse ad Christum postea conversus, et filii ejus Alexander et Rufus, celebret in Ecclesia facti sunt, Marco insinuante, c. XV. Crocus calcari gaudet, pereundoque melius provenit, teste Plinio, l. XXXI. c. VI. Idem prodesse cæpis novistis. Sie et pressure corporis utiles sunt animæ. Jugum etiam grave est labor vester continuus et durus. Verum cogitandum vos esse filios Adæ, quibus hoc jugum impositum est, ut in sudore vultus vestri comedatis panem vestrum. De quo Ecclesiastici XL. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam.

II. In rotam gladiis armatam, gyratus ac lace-

ratus fuit. Interim: « Gratias tibi, Domine, ait, quod in hanc sortem me vocasti. Tu qui fuisti fixus in cruce inter duos latrones et mortem immortalis gustasti, ut a morte hominem eriperes, da mihi stabilem tuæ fidei confessionem in hac hora, et serva animam meam ab hac diaboli machine. » Facta hac oratione, angelus Georgium a rota solvit ac sanavit. Rota hæc vocari potest, cœlum, perpetuo rotatum, et gladiis malignorum siderum, adeoque grandine, siccitate, imbris, pruina, fulminibus armatum; sæpe extrema minitans, sæpe etiam vulnerans. Cum hac rotantur nostri agricultæ semper metuentes agris et pecoribus suis. Agricultæ Ägypti cœlum nunquam aspiciunt, quod non a pluviis sed a Nili inundatione tantum agrorum fecunditatem expectent. Non sic agricultæ nostri: cœlum identidem contentur, unde illorum proventus pendent. Quid igitur ipsis hic faciendum? Cogitent in primis sensisse etiam Christum hanc inconstantis fortunæ rotam, quando in die palmarum exaltatus instar regis, post quinque dies depresso ad cruncem et latrones fuit; unde tamen rursum post triduum emersit in resurrectione ad gloriam. Quare, si quando accidit, ut cladem aliquam a tempestate hoc anno accipiant, sperandum illis est, Deum, qui non in perpetuum irascitur, sequente anno fore in eos liberaliorem. Aspiciant sidus Veneris, quod Luciferum appellant. Hic vesperi occidentem solem sequitur, ut putes eum mane post solis ortum primum redditurum. Sed non ita est: nam mane in aurora orientem solem præcedit, adeoque tarditatem sui occasus, celeritate ortus compensat. Idem ipsis facile Dei benignitate potest contingere, ut clades hoc anno accepta, sequentis anni felicitate abunde compensem: ita ut jam divites se videant, qui prius se ad incitas redactos existimarent. Hoc est, quod Sophar Job prædixit: *Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer, et habebis fiduciam, proposita tibi spe,* Job XI. Expertus id est et Tobias, qui, post pios sepulturæ labores exstantes, repente excæcatus hirundinum stercore, desperatus de sui visus receptione videbatur. At vide, cum minime speravit, visum angelii beneficio recepit. Deinde, utantur Christi consilio: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis,* Matth. VI. Scribit Origenes, tr. XIII. in Matt. et Plin. l. VIII. c. XXXV. inter conchylia, que uniones gerunt, esse unum quoddam maximum, et pulchritudine margaritæ intra se reconditæ venustissimum; quod quasi ducem cætera conchylia turmatim sequantur. Igitur venatores hoc maximum præ ceteris venantur peculiari studio: eo enim capto, facile

IN FESTO S. GEORGII.

postea capiunt reliquum agmen totum, omnesque in eo inclusas margaritas, velut cum matre pullos. Conchyle maximum et venustissimum est Dei regnum, de quo Christus, Matth. XIII. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas,* hoc est, simile est margaritæ pretiosæ, quam mercator aliquis omnibus suis facultatibus emit. Hoc igitur cœlestis conchyle qui ante omnia piscatur et quæreret, tametsi nondum ceperit, reliqua viliora bona, qualia sunt terrena, non difficile consequetur quantum ipsi necesse est. Docuit hoc Tobias filium suum, inter alia monens: *Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bona,* Tob. IV. Idque expertus est, redeunte ad ipsum filio ex itinere cum magnis divitiis.

III. Conjectur in lacum, ex calce vel lapide asbesto, triduo ardente. Mansit illic illæsus Georgius sub præsidio angelii. Quinam hi ardentes lapides, nisi mali vicini ardentes et urentes odio inextinguibili? Et quod hic remedium? Cogitent in primis, quam malum vicinum habuerit juxta se cœlestis agricultæ filius, Christus in cruce, latronem, inquam, sinistrum; eum tamen sibi improphanterem tacitus et a quo animo tulit. Et quam diu tulit Judam proditorem suum, et quidem in domo et mensa sua? Considerans id S. Martinus, qui similem persecutorem inter suos habuit discipulos, Brictium, non difficile eum sustinuit. Dicebat enim: *Si Christus Judam passus est, cur ego non patiar Brictium?* Ut in ejus vita. Cogitent deinde Abramum, qui et ipse vir agriculta a vicinis suis Chaldaeis gentilibus ob veri Dei cultum divexatus, et, ut habet traditio Hebræorum (quam approbat Hieronymus, et recipere videtur Ecclesia in commendatione animæ moribundæ) in ignem conjectus, indeque a Deo eductus est, ut legimus, II. Esdr. c. IX. Deus qui elegisti Abram, et eduxisti eum de igne, Hebr. de Ur, ut Gen. XI. ponitur, Chaldaeorum. Cogitent Noen justum in toto mundo perverso, ab improbis cum sue aræ structura per annos centum derisum et subsannatum, velut insanum et fabulosum præconem. Cogitent Lothum inter pessimos Sodomitas, qui, ut ait S. Jacobus, ep. II. c. II. *Aspectu et auditu* (hoc est, licet quotidie aspicaret et audiret pessima vicinorum sclera) *justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* Cogitent Jobum in terra Hus inter impios Idumæos derelictum et cruciatum. Omnes isti inter malos magis enituere (uti rosæ juxta allia satæ, fragrantiores fiunt) et a Deo custoditi fuere.

IV. Calceos ferreos induere cogitur, clavis ignis affixos. Tum Georgius: *Propera, Georgi, ad sortem illam, quæ te apprehendit.* Cui Christus: *Esto bono animo, tecum sum. Calcei ignei febres sunt et morbi, in quibus destituti omni cura rusticæ, omni medico et medicina pergere ad labores, sibique comparare cibum nequeunt. Calceus item ferreus clavis ignis affixus, est paupertas et inopia, cui plerique ruricola affixi sunt. Quod vero his remedium?*

Cogitent Christum etiam in cruce manibus pendibus confixum, ita ut seipsum nec digito sublevare uno posset, nec cruorem abstergere, nec muscam a vulneribus depellere, nec de uno se in alterum latus vertere: ita parum eis videbitur quod ipsi patientur. Ille etiam cum esset dives et totius mundi Dominus, propter nos factus est pauper, et adeo quidem, ut non haberet, quod volucres et vulpes habent, quo caput reclinaret. Si non habuit culcitram, in qua cubaret, ubi victum et vestitum? Quis unquam agricultorum adeo pauper fuit, ut non haberet, ubi jaceret?

Cogitent deinde Christum esse secum: licet ab aliis deserti sint, ipsum esse medicum omnium præstantissimum, in quo magis confidendum sit, quam in prædiis humanis et quibuscumque opibus. Pulchre hoc ostendit angelus euidam hortulano, in vitis pp. libr. V. libello VI. « Narraverunt senes, ait auctor Græcus, Pelagio interprete, de quadam hortulano, qui laboraret, et omnem laborem suum spenderet in eleemosynam: et tantum sibi retinebat, quantum ad victum ipsius sufficeret. Postea vero Satanæ immisit in corde ejus, dicens: Collige tibi aliquantam pecuniam, ne cum senueris aut ægrotaveris, opus habeas ad expensas. Et colligit et impletivit lagenam de nummis. Contigit autem eum infirmari et putrefieri pedem ejus, et expendit, quod collegat, in medicos, et nihil ei prodidit potuit. Postea vero venit quidam de expertis medicis, et dicit ei: Nisi incideris, pedem tuum putrefiet. Et constituerunt diem ut incidenter ejus pedem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, et penitentiam agens de his quæ gesit, ingemuit et flevit dicens: Memor esto Domine operum meorum priorum, quæ faciebam, cum laborarem in horto meo, ex quo pauperibus ministrabam. Et cum hoc dixisset, stetit angelus Domini et dixit ei: Ubi sunt nummi, quos collegisti? Et ubi spes de qua tractasti? Tunc intelligens dixit: Peccavi Domine, ignosce mihi, et amodo ulterius hoc non faciam. Tunc angelus tetigit pedem ejus, et sanatus est statim: et exsurgens mane abiit in agrum operari. Venit

CONCIO III. AUCTARI.

ergo medicus secundum institutum cum ferramentis, ut searet pedem ejus, et dicunt ei: Exiit a mane operari in agro. Tunc admiratus medicus perrexit in agrum, ubi operabatur ille, et videns eum fodientem terram, glorificavit Deum, qui reddiderat ei sanitatem. »

Denique, cogitent suam ægritudinem et inopiam, lene quoddam, imo suave purgatorium sibi esse, de quo, Isaiae XLVII. ait Dominus: *Ecce excoxi te: sed non quasi argentum, (in ardentissimo scilicet camino, sicut merueras) elegite in camino paupertatis, Hebr. ussi te, non in argenti sed inopie et afflictionis fornace. Argentum igni impositum rubet, quasi in ignem transeat, extractum inde recuperat suum candorem; sic qui in purgatorio excoquuntur, toti in ignem transeunt, toti igniuntur. Annon igitur præstat intrare fornacem inopie et afflictionis, quam fornacem illam argenti?*

V. Nervis denique atrocissime cæditur: nervi sunt contumelie et injuria, quas patientur vel a dominis vel ab inimicis ruricola. Quod in his remedium? Cogitet primo Christum flagellis immittere cæsum obmutuisse velut agnum. Contumelias quoque innumeris appetitum, non contumelias rependisse, sed orationem. Id quod etiam fecit S. Georgius priusquam capite plecteretur, quod extrellum ejus supplicium fuit: *Non est servus major domino suo. Si patrem familiæ Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos ejus?* Matth. X. Mulier quadam in Anglia fuit, teste Joanne Busæo nostro, libro de statib. hominum, libello de regimine rusticorum, c. IX. bene fidelis ac virtutibus plena, et præcipue hospitalitatí supra vires intenta. Hæc propter constantem usum honorum operum sancta, ut vere fuit, reputabatur. Verum in uno deficiebat, quod malos et injuriosos homines sibi vicinos, qui eam crebro et indigne molestabant, non omnino æquanimiter tolerabat, quinimo et aliquando minus patienter eis respondebat. Igitur post aliud tempus cum jamdiu defuncta fuerat, quidam vir sanctus eam in pœnis purgatorii videbat mirabatur, quod tantæ famæ femina adhuc illuc detineretur, quæ nihilominus graviter pro sua impatientia, quam admiserat, flere et ponitare solebat. Cui Dominus visionem exponens respondit: « Ego steti coram Pilato et pro hominum peccatis satisfaciendo silui ad contumelias illas non peccatis meis. Hæc autem quia me in hoc imitari neglexit, ideo nunc justum est, ut magna acerbitate purgetur, ne aliquod malum maneat impunitum. »

Cogitent deinde, injurias et probra suas esse medicinas. Hinc sponsa concludens suum spon-

so dialogum, hoc ultimum petit: *Fuge, dilecte mi, assimilare te capre hinnuloque cervorum, Ganticorum VIII. Cervus serpentes, caprea helleborum, venenatam herbam, non modo sine noxa, sed etiam ad salutem loco medicinæ vorat, teste Plinio, lib. XXV. c. V. Pari modo injuria, si cum patientia et mansuetudine devorantur, medicinæ sunt, non venena: Euge ergo, dilecte mi, assimilare te capre hinnuloque cervorum.*

Tertio, impatientiam duplicare malum, perdere meritum et sèpè rem temporalem, divina punitione. Sic contigit rusticu illi, in prato et spirit. cap. CLXXXIII. qui Davidem Ægyptum eremitam conduxerat ad demetendum agrum. « Qui, cum semel æstus magnus esset, ex agro abiit in lugurium, et sedit. Quem intuens agricultor objurgat, cur non meteret. Et ille: Quia propter æstum excidit trificum, ideo expecto vesperum. Cui ille: Surge, labora, ardeant omnia. Ille: Et vis ut ardeant? Et agricultor: Ita plane. Abit David, et en continuo seges ardet. » Currens ergo agricultor ad alios senes prope mententes, rogat, ut illum messorem suum inclinet ad orandum pro segete. Quibus ille: Sic quidem voluit ipse. Oravit tamen et extinxit ignem.

Quarto, denique maxtmum aliquando se collecturos fructum sua patientia, teste Davide, Ps. IX. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Videatur ad tempus eorum obliviisci Deus, sed non obliviscetur in perpetuum. Agricultor et mercator expectant quidem ex agris fructum suorum laborum ac industriæ: sed quandoque fraudantur: pereunt fruges grandine, merces naufragio; non ita fructus patientiæ pauperum; non enim peribit in æternum, quod magnum ei solamen afferre debet.

Ergo si equites fieri vultis vos agricultor, cum Georgio militate, non feriendo, sed patiendo, et quæ ipse egit, pro viribus imitando.

IN FESTO S. GEORGII.

CONCIO IV.

QUÆDAM AGRICOLARUM PRÆSCRIPTA, SEU
REGULÆ.

Ad agricultor: Agricultor Christo valde similes. — I. Fertilissimus est in agro oculus domini. — II. Lutosam terram ne tangant, scilicet peccatum et res alienas. — III. Omni conatu arent, orando. — IV. Malus agricultor est qui interdiu facit quod noctu potest. — V. Pejor est, qui pro festis diebus agit quod feriatis deberet. — VI. Pessimus qui sereno die sub tecto potius operatur quam in agro. — VII. Nequam agricultor est, qui emit, quod ex suo fundo habere potest.

THEMA.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricultor est.

Joann. XV.

Habent sane agricultoræ, quod sibi gratulentur, dum hodierno in evangelio audiunt Christum Dominum nostrum seipsum appellare filium agricultoræ, eo ipso, quod Patrem suum nominat agricultoram: similes ergo Christo ejusque Patri aliqua in re sunt, plusquam alii homines. Coluit Christus Dominus agrum seu vineam Ecclesiæ suæ quemadmodum et agricultoræ colunt agros et vineas suas. Christus in hoc mundo servi forma indutus a magnatibus contemptus fuit, tales habentur in mundo etiam agricultoræ: Christus vitam duram et pauperem duxit, sic vivunt et agricultoræ: Christus sua merita nullius damno paravit, sic etiam rusticæ et terra eruunt panem et vitæ necessaria, nullius præjudicio: denique, Christus Patri suo cœlesti dilectissimus fuit, quia ipsi per omnia simillimus, sunt etiam agricultoræ Deo tanto magis dilecti, quanto magis ipsi similes: habent etiam patronum magnum, S. Georgium, cuius et nomen sonat agricultoram: gratulentur ergo sibi hoc nomine agricultoræ. Verum ut hoc ipsorum solarium verum sit ac solidum, unum observare debent, ut nimis sint boni agricultoræ non solius terra, sed etiam animæ suæ. Qua vero ratione, nunc audiemus.

Celeberrimus ille naturæ indagator Plinius, et cum eo alii quidam, aliquot præscribunt agricultoris partim præcepta, partim documenta, quæ ad bonos mores videtur non difficile accommodari posse. Sunt autem hæc.

I. *Fertilissimum esse in agro oculum domini*, ita refert Plinius, lib. XVIII. c. VI. Idem alio proverbio dicitur: Nullum finum agro utiliore esse, quam quem agricultor infert agro in suis calceis. Ecce oculus heri agrum facit fertilem, quia reddit attentos servos, qui colunt illum: quid ergo non faciet oculus Dei,

si emp r eum si i nvigilare cogitent agræ Quando Laban a servitute sua dimisit Jacob una cum duabus suis filiabus ferit fœdus cum eo, ne aliquando affligeret filias, et in ejus rei testimonium erexit tumulum terræ, appellavitque eum speculam, quia dixerat: *Intueatur et judicet Dominus*, Genes. XXXI. quasi pro fræno injiciens ei timorem Domini sui, omnia speculantis et judicantis. Vivunt in agris rustici, longe ab inspectorum et superiorum suorum oculis remoti, magis quam cives: quare ut ne abutantur creaturæ Dei sibi concessis, et libertate ac solitudine sua, cogitent se habere inspectorem Deum in omni loco, qui et videat et judicet. Sic vitabunt sceleræ et reddent attentos servos suos, intellectum, voluntatem, memoriam, sensus: sic impinguabunt bonis actionibus animas suas. Si enim agricultoræ adeo metuunt dominos suos terrenos, ut in eorum oculis se ad modestiam componant, et nihil facere audeant, quod eos offendat, cum videant statim pœnas sibi a tergo esse: cur non potius timeant Deum omnia cernentem, qui et animam et corpus potest mittere in gehennam? S. Juliana virgo cum a sponso idololatra pelliceretur ad idolorum cultum, renuit, et ipsum potius vocavit ad suscipiendum baptismum. Quod cum is se facere non posse diceret, quod timeret sibi ab ira et indignatione imperatoris, tum Juliana: *Sit u mortalem times regem, ego immortalem non timeam Deum?* Ut in ejus vita, 16. febr. Lipel. Idem cogitent agricultoræ: timeant immortalem Deum, quia semper eis a tergo est, tametsi prævaricantes non statim corripiat: differt enim, non aufert.

II. *Lutosam terram ne tangito*, refert idem Plinius, l. XVIII. cap. XIX. quasi dicat: Non arandum esse agrum, dum est lutosus, quia sedimentem suffocaret, et zizania solum gigneret. Quod lutum esse perniciosus potest peccato? Enecat hoc omne semen bonum vitæ æternae, et gignit zizania mortis perpetuae. Fuit hujusmodi semen fructus arboris vetite in paradiſo, de quo præcepit Deus primis parentibus, ne comedenter, et (ut Eva testatur) ne tangerent illud, ut ne morerentur. Adeo ergo perniciosus erat ille fructus, ut etiam contactus ejus damnum afferret. Ex occasione enim peccati, præsertim ex contactu, facilis in peccatum lapsus est. Qui pretiosas gerit vestes, ab omni luto refugit, ne eas contaminet. Pretiosas habent animas rusticæ boni, Dei gratia vestitas, eique tanto chariores, quanto coram mundo sunt contemptibiliores: omni ergo custodia servent cor suum, exemplo quadraginta illorum rusticorum, qui capti a Longobardis gentilibus, et compulsi ad

edenda idolothyta, maluerunt tormentis excrucia-
ri et occidi, quam se contaminare peccato, apud
D. Greg. III. dial. c. XXVII.

Luto etiam manus commaculant agricolæ, si
de rebus alienis aliquid attingant, decimas de-
raudent, iura sua non reddant. Sic enim Habac.
c. II. dicitur: *Vx ei, qui multiplicat non sua!*
Usquequo et aggravat contra se densum lutum? Ut
enim densam lutum non solum inquinat homi-
nes, sed tenaciter etiam retinet atque inviscat,
ne facile eluctari queant; ita res alienæ et pect-
cato commaculant, et simul peccato affi-
gunt, quominus eas restituant. Sedulo hoc
lutum vitabat ille rusticus, apud Cassian. I.
XIV. collat. c. VII. qui Joanni abbati confessus
est: « Se nunquam de fructibus suis aliquid
usurpassæ, nisi prius Deo primitias eorum ac
decimas obtulisset, et nunquam se boves
suis per alienæ messis traduxisse confinium,
nisi eorum prius ora clausisset, ne vel parum
damni per injuriam ejus proximus sustineret. »

Qui per hæc et alia pietatis opera eo sanctitatis
pervenit, ut ad ejus præsentiam dæmon ex
obsesso fugere debuerit. Considerate vos hunc
agricolam. Quando iste manipulum unum deci-
mis subtraxisset, qui vel unam spicam alienam
suis bovis non permisit?

III. *Vi omnia arato*, Plinius ibidem. Præcipuum est hoc agricolarum munus, teste Catone,
agrum bene colere et bene arare. Bene arat, qui
bene orat. Quemadmodum enim arator terram
arando invertit, ita ut pars inferior cespitis,
prius latens, fiat superior et cœlum contueatur;
ita et cor nostrum in oratione invertitur, ut in
Deum aspiciat, quod in terram et terrena ne-
gotia prius respiebat. Porro ut bene aretur,
suadent periti apud Plinium, loco citato, terram
prius proscindi, ut inverso cespite radices ne-
centur: sic ad initium orationis, ut majore at-
tentione fiat, eliminandæ sunt pravæ cogitationes. Addit Plinius, eod. libr. cap. VI. *Minus*
serere præstat et melius arare. Præstat etiam pau-
ca loqui in oratione ex consilio Domini nostri,
Matth. VI. *Cum oratis nolite multum loqui;* et
melius orate, mente videlicet cum Deo colloquen-
do. Non enim tam ad verba, quam ad mentem
attendit Deus. Rursum idem Plinius, eod. libro,
capite XIX. docet: *Araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent:* sic enim minus colla contundunt. Pari modo in
oratione oportet cohibere et arte constringere
sensus, ne evagentur, quo oratio fiat attentior
et suavitor oranti. Denique, ibidem Plinius:
Arator nisi incurvus prævaricatur. Sic et qui orat,
nisi supplex et humiliis incurvet se coram Deo,

nihil impetrabit; imo prævaricatur, orans qua-
si pauper, et interim collum superbia erigens:
Pauperem autem superbum odio habet Deus, Ecclesiastici XXV. Quamquam vero omnibus
Christianis necessaria sit oratio, in primis tamen
est ruricolis, qui omne suum pabulum,
omnem sustentationem expectare e cœlo debent.

Mercatores, litterati et opifices non curant valde
tempestates, quia inde se non alunt, sed ex
studio, mercimonis aut opificis: agricolæ
vero, licet agros suos quam diligentissime coluerint,
nisi Deus incrementum det, pluvias et
solis radios, frustra laborant. Deus enim: *Dat*
pluvias et tempora fructifera, implens cibo et latitia
corda nostra, ait Paulus et Barnabas, Act. XIV.
pro his ergo orandus est, uti oravit Salomon,
III. Reg. VIII. Frustra est aloquin omnis hu-
mana industria. In vita Sancti Severini No-
ricorum apostoli, apud Sur. 8. jan. legimus
ejus tempore locustas innumerabiles pas-
sim segetes devastasse. Suasit ergo agricolis
Severinus, ut contra bestiolas non ad agros ex-
currerent, quasi humana sollicititudine eas ve-
turi, sed in templum potius cum ipso ad orationem
convenient. Fecerunt ut jussi erant, uno
excepto pauperculo, qui ad agellum suum modicum,
quem inter aliorum sata habebat, excur-
rit, et nubem locustarum impendentem, qua po-
tuit, exturbavit industria, sieque ad templum
rediit. Verum altera die vident omnes aliorum
agros illæcos, suum vero a locustis penitus
depastum esse, sero se redargente, quod
plus in sua opera quam in oratione et Dei præ-
sidio confisus esset.

IV. *Malum patremfamilias seu agricolam esse,*
quisque interdiu facit, quod noctu posset, v. g. s
interdiu quiescat vel dormiat, cum noctu dormire
possit, Plin. ibid. c. VI. Dies est, dum adhuc
vegeti, juvenes et sani sumus: non erit, cum se-
nectus ingruct aut morbus: *Me oportet operari,*
dum dies est, venit nox quando nemo potest operari
ait Dominus, Joann. IX. Malis ergo cultores animæ
sua sunt, qui otiantur et dormiunt, dum firmæ
valetudine bene operari possunt, et differunt
ad noctem ægritudinis aut senectæ. Alexander
M. militem, qui instructa jam acie armantur
telo aptabat, velut ignavum domum remisit
quod tunc primum telum aptaret, cum pugnan-
dum esset, Plut. in apophth. Huic simillimi sunt,
qui in morte et senectute parare sibi arma, ad
pugnandum cum morte et dæmone, volunt, quod
dudum antea facere debuerant.

V. *Pejorem adhuc patremfamilias esse*, idem
refert Plin. XVI. c. IX. *qui pro festis diebus age-*
ret, quod feriatis deberet. Debent ergo agricole

observare tempora sacra, ut labores suos, qui
diebus aliis destinati sunt, non transferant in
festivos, nec faciliter etiam de causa quæ festivis
temporibus agi convenit (ut est confessio et
communio) transferant in dies quibus laboran-
dum est. Sex dies pro corpore alendo, septimus
pro anima institutus est, neque ullum negotium
sæculare tam tibi corde esse debet, ut per id ne-
gligas animæ negotium. Aristippus philosophus,
a quodam reprehensus, audivit: *Tua culpa pe-*
rit ager. Cur illi: *Melius est ut pereat ager propter*
me, quam ut ego propter agrum, Stob. ser. LV.
Idem multo magis dicat Christianus, si in die-
bus festis suadeat quis agrum colendum, me-
tendum, fruges domum venhendas, ne pereant.
Præstat perire agrum aut fruges propter te, quam
te propter agrum: *Quam enim communionem*
dabit homo pro anima sua? inquit Matth. XVI.
Dominus. Pari ratione, tempore paschali, cum
juxta Ecclesiæ præceptum sacra confessio et
communio peragenda est, non preferantur huic
negotio animæ labores corporales, sed postponantur.
Nec laudo, si hæc sancta opera diffe-
rentur in dies, quibus laborandum est, quia
labor corporis labore animæ turbat, et dies
festivi negotio salutis a Deo destinati sunt, velut
magis idonei et quieti: sicut dies non festivi
destinati sunt laboribus potissimum corporali-
bus. Neque vero existiment ruricole dies festi-
vos somno, otio, compotationibus, choreis tran-
sigendos esse, eoque haec talia differenda. Gra-
vis hic est error, qui magnam festis infert injuria-
m: non secus ac qui sordes omnes oppidi
vel pagi in templum exonerare et conferre vellet.
Neque enim minus sancti sunt dies dominici et
festivi, ab ipso Deo sanctificati, quam templi
et cœmeteria sacrata ab episcopo.

VI. *Pessimum esse, qui sereno die sub tecto po-*
tius operatur, quam in agro, Plin. ibid. Talis au-
tem fieret, qui præclaras bene operandi occasio-
nes negligenter. Norunt agricole quantum refe-
rat, tempora arandi, seminandi, plantandi, li-
gna cædendi, fruges colligendi observare. Si
enim ea neglexerint, sero nimis sapient, et vic-
tum se perdidisse dolebunt. Vident apes suas
nullum diem serenum negligere, quin evolent
ad laborem: nubilo tempore domi laborare.
Vident formicas præparare in messe cibum sibi,
quia post messem occasio fugit: pari ergo
modo observent occasions conquirendi merita,
et bene operandi pro sua salute, v. g. dies so-
lemnes, tempora indulgentiarum, et orationum,
supplicationum, concionum tempora, quibus
episcopi confirmationem administrant, vel ecclæ-
siam dedicant, quibus viri religiosi pro ipsorum bo-
no adsunt, etc. Denique, nullum tempus otio con-
sumant, quod monuit S. Bernardus his verbis:
« Si dimiseris rusticum ne laborem continuet,
statim mollescit; quod si laborare cessaverit,
quo merito æternam obtinebit vitam? Orare
nescit, contemplari, meditari, studere, legere,
cæteraque studia spiritualis vitæ ignorat: et
quid ei restat nisi otium? Otium autem diu rationa-
lis creatura sustinere non potest. Restat ergo, ut
si laborare in vocatione sua cessaverit, ad vitia
ruat, et diabolus fiat. » Refert Guil. abbas, in
vita ejus.

VII. *Nequam agricolam esse, quisque emeret,*
quod præstare ei fundus posset, Plin. ibid. c. VI.
Nequam vero potissimum est sibi ac liberis
suis, quos hac stultitia sua perdet. Qui vero
sibi nequam, qui bonus? Laborant hac stulti-
tia et nequitia qui salutem suam, quam ipsi sibi
parare bonis operibus, adeoque plantare in suo
fundo possent, querunt in aliorum precibus et
præsidio. Volunt pro se fieri preces et bona
opera a religiosis, quæ ipse fructuosius facerent.
Nisi enim et ipsi orient, aut saltē peccare desi-
nant, seque capaces gratiæ reddant, frustra alio-
rum preces invocant: quemadmodum et æger,
nisi medico cooperetur, servando præscriptam
diætam, frustra opem ejus expectat. Saul Deo
inobediens, apprehendit Samuelem in summitate
pallii, rogans eum, ut pro se oraret: verum
ea scissa est, et remansit in manu Saulis; pro-
pheta autem abiit, I. Reg. XV. quia nimurum
ipse de peccato suo non pœnituit, nec pietatis
opus aliquod de suo adjunxit. Hac ratione sancti
frustra invocantur. Nihilo plus prodest sola ele-
mosyna, quantumvis larga, si quis in peccatis
pergens, putet se Dei gratiam ea mercari posse.
Videtur enim iste Deum pro tali judice habere,
quem corrumperem possit muneribus, ut iniquæ
parti faveat; quod est maxima Deo injuria. Non
Deus gratiam suam pecunia, sed pœnitentia et
retractatione scelerum. Scimus denique fatuas illas
virgines frustra ad forum perrexisse, ut oleum
sibi emerent, quod ipsæ sibi prius parare nolue-
runt.

Hæ sunt, quas promisi, agricolarum regule:
his ita explicatis serio se accommodent, et erunt
filii Dei dilecti, adeoque boni clientes S. Geor-
gii, qui nomine et re agriculta agrum animæ
sue diligentissime excoluit: quinimo erunt
fratres Christi, qui et ipse Filius est cœlestis
illius agricultæ, qui mundum hunc plantavit et
excolit continuo. Quod si fratres, ergo et cohæ-
redes in cœlo futuri.